

192

190

196

186

201

181

241

141

291

091

Ende

Anfang

181

antiqui de Aegypto scripserunt. Insuper dicunt, quod heroes in Aegypto regnaverunt decem et octo millia annorum, post Isidem homines regno potiti regnaverunt paullo minus annorum, quindena millia, usque ad centesimam octogesimam olympiadem. Sed haec omnia a catholicis refelluntur, et S. Augustinus (B) de Civitate Dei L. XVIII. C. 4. dicit, esse mendacissime conficta, et reprobat ex dictis Varronis, qui ponit, litteras inventas in Aegypto ab Iside, aute quas sapientia esse non poterat.

Tertio nominabatur antiquitus Mephaina, a filio Cham, filio Noae, vel Mesraina, a Mesraim, ejusdem filio, qui ibi primo habitasse dicitur post diluvium. Et his nominibus multis annis fuit nominata; nam Belus, primus Assyriorum rex, Nimrodes, Aegyptum inhabitavit, nec tamen in ea mansit nec nomen a se ei tribuit, sed eam Danao filio suo reliquit, qui inde pulsus fratri suo Aegysto cessit, qui possessor ejus existens Aegystum eam nominavit, a quo mutato s in p Aegyptus dicta est usque in hunc diem. Nominatur etiam fornax ferrea, Deuteron. IV., propter duram Judaeorum servitutem in calore, luto et latere. Quidam insuper aestimant, hanc regionem tempore Noae dictam Heliocaram, quod idem est, quam regio solis, in quam misit Noë Jonichum filium suum, ibique Astronomiam invenit, cuius discipulus Nimrod gigas fuit. De hoc loquitur Magister in Speculo histor. de Noa. Sic ergo regio illa dicitur Aërea, Essaea, Heliocara, Mesraina et Aegyptus, et nonnumquam tota Aegyptus dicitur Thebaida a principale civitate Theba dicta. De Aegypto dicit Herodotus, quod olim non fuerit terra, sed mare, quod usque in Aethiopiam protendebatur, sed eo decrescente mansit pluribus temporibus terra paludosa inhabitabilis. Dicunt Aethiopes, Aegyptum ab initio mare fuisse, sed Nilus de eorum terra limo abducto continentem fecit. Imo eorum coloniam etiam nominant, Eusebius de Evangel. praepar. L. IV. C. 1.

Est autem Aegyptus regio Africana terra undique clausa et inaccessa. Nam ab occidente habet mare magnum, ubi non est accessus nisi per naves, et hoc in paucis locis, quia littus habet importuosum. Contra Africam est desertum magnum, multarum diaetarum, Libyae. Ab austro est desertum Aethiopiae per XV diaetas usque in Nubiam. Ab oriente vero est desertum Thebaidae usque da mare rubrum per tres diaetas ad Ardech, portum

